

# DE HYDRARGYROSI.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE


RITE IMPETRANDO

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*IOANNES IACOBUS RAMBACH,*

BEROLINENSIS.



---

DORPATI LIVONORUM  
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCXXV.

PATRI OPTIMO

FRIED. EBERH. RAMBACH

DR. PH. A CONSIL. STATUS, DISCIPLINARUM, QUAE  
PERTINENT AD REM CAMERALEM, AD RED-  
TUS ET REM MERCATORIAM P. P. O. IN UNI-  
VERSITATE CAESAR. DORPATENSIS

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec  
dissertatio. septem exemplaria collegio, cui censura libro-  
rum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. v. Decembris MDCCLXXXV.

Dr. L. A. Struve,  
h. t. Decanus.

PATRUO, CARISSIMO

AUG. IACOBO RAMBACH

MINISTRO VERBI DIVINI PRIMARIO ECCLES.  
ST. MICHAELIS ET SCHOLARCHAE  
HAMBURGENSEI,

YES NOW

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

*Prooemium.*

Officium, quo, moderante V. Cll. Dr. Struve, praecceptore a me semper colendo, in nosocomio Universitatis imperialis nostrae fungebatur, occasionem mihi, plures in illo receptos, aegrotos observandi praebuit, et primum animum meum ad explorandum eum morbum, de quo hae paginae loquuntur, advertit, cum isto tempore hujus generis aegri frequentiores essent, quorum etiam in hac dissertatione mentio fiet. Simul me non fugiebat, mercurialium usum saepius a scopo aberrare, si aegroti praescriptis a medico datis non

satis obedirent. Aegroti enim, qui non perpetuo aderant, sic dicti ambulatorii, quorum magna pars Syphilide laborabat, creberrime copiam mihi fecerunt, infausta, quae mercurialium usum sequuntur, mala intuendi; quippe qui, plerumque e pauperrimis urbis incolis, partim perdurante morbo victum quærere coacti, partim ex negligentia praescriptum regimen non sequerentur, quare medela, mercurialibus instituta, saepius parum successit. Interdum etiam aegroti, ob usum mercurialium jam laborantes, opem instituti petebant, qui aut jussu medicorum, aut, quod saepius accidit, suadentibus laicis, mercurio incautissime usi fuerant. Nam sicuti Syphilis morbus pervulgatus, sic etiam lippis et tonsoribus notum, mercurium esse antidotum ejus, quo fit, ut imperiti nonnulli sibi auctoritatem traditam hujus medicaminis adhibendi putent, praesertim, si, quod saepius usu venit, morbum quovis modo dissimulari optent aegroti; cui abusu eo favetur, quod in nostris regionibus pharmacopolis quaedam mercurialia, e. g. aquam phagedaenicam et unguentum neapolitanum, etiam sine medici jussu, vendere licet. Quo omnimodo respiciatur necesse est, et in votis esse debet, ut tandem lues venerea, quae per ur-

bem et regiones circumjacentes adhuc grassatur, nosocomio, huic uni morbo dicato, coerceatur; quò, si legibus strictioribus pharmacopolae et circumforanei simul cohiberentur, efficeretur, ut etiam morbus mercurialis rarius appareret. — Ex factis, a me allatis, quilibet perspiciet, hydrargyrosin, etsi non tam saepe, quod jam alii contenderunt \*), occurrit, quam vulgo putant, et olim accidebat, tamen consideratione singulari dignam esse, praesertim propter similitudinem cum lue venerea, quae tam magna est, ut facile confundantur; quae tamen permutatio perniciosissima putanda est.

Ex scriptis, nuperrime de morbo mercuriali compositis, nullum nisi Mathiae \*\*) opus ad manus mihi fuit, qui pro more Anglorum, solos scriptores anglos, hanc rem tractantes, laudat; nihilominus, pro occasione mihi data, ea in usum meum convertere studui, quae in scriptis Germa-

\*) Struve über Diät - Entziehung - und Hunger - Cur: Altona, 1822.

\*\*) Andreas Mathias über die Mercurialkrankheit, aus dem Engl. von Dr. H. Robbi, Leips. 1822.

norum, ad hanc rem pertinentia, mihi feliciter  
occurrerant.

Opusculum meum, cum primum auctoris spe-  
cimen sit, indulgentiae lectorum eo magis commen-  
datum esse velim.

## I.

Brevis notitia historica de usu mercurii,  
et de morbo inde orto.

**P**edacius Dioscorides, aequalis Neronis, primus  
fuisse fertur, qui argenti vivi mentionem faceret;  
eductionem ejus e Zinnabari edocuit, et venenum es-  
se putavit 1). Saeculo octavo inter Arabes in opere  
de Alchemia 2) Abu Mussah Deschafar al Sof, vulgo  
Geber vocati, quaedam hydrargyrii praeparata, e. g.  
H. sublimatum corrosivum et praecipitatum rubrum,  
memorantur. Rhazes, scriptor saeculi decimi de hy-  
drargyrio muriatico loquitur, praeparato ex sale co-  
quinario et argento vivo, quo contra scabiem et alia  
exanthemata extrinsecus utebantur. 3)

1) Kurt Sprengel Versuch einer pragmat. Geschichte der  
Arzneikunde. Hall. 1800. 2 Bde.

2) Alchemia Gebri.

3) Sprengel l. c.

Avicenna, saec. XI. in Materia medica sua hydrargyrium sublimatum venenum acerrimum vocat, et tantummodo usui externo commendari posse putat 4). Gilbert, saec. XIII. methodum unguenti ex hydrargyrio componendi memorat, quare argentum vivum cum saliva conteri jubet 5). Eodem fere tempore Theodoricus inunctiones unguenti mercurialis contra lepram adhibuit. 6)

Contra luem veneream hydrargyrium jam exeunte saec. XV. in usum vocatum esse dicitur; medici vero non nisi maxima cum circumspectione eo uti ausi sunt; chirurgi contra, quales isto tempore erant, et circumforanei multo saepius id in auxilium vertebant 7). Anno MDXV de efficacia metalli rursus dubitarum, ejusque usus fere plane neglectus est; confugiebant ad guajacum, sassaparillam et alia remedia, quae interdum mitigationem attulerunt. Mox autem perspectum habuere, his remediis malum illud prorsus sanari non posse, itaque rursus ad hydrargyrium revertebantur, quo tamen primo externe tantum in forma emplastri, unguenti vel fumigationum utebantur. —

4) Sprengel l. c.

5) Gilberti anglici compendium medicinae tam morborum universalium quam particularium non solum medicis sed et chirurgicis utilissimum, ed. Michael de Capella, Venet. 1570.

6) Sprengel l. c.

7) Widman apud Hensler exc. p. 30. — Pinctor ibid. p. 32. Almenar in Luisin. p. 364.

Petrus Andreas Mathiolus, circa annum MDXXXV degens, primus fuisse dicitur 8), qui hydrargyrium contra luem veneream interne adhiberet. Pillulae, quae per Barbarossam, principem piratarum Algerii et Tunetis, anno MDXXXVII innotuerunt, quibus etiam Franciscus I., rex Galliae, usus est, primum medicamen celebratum contra luem veneream et ex argento vivo, contrito cum terebinthina et farina, compositae erant. — Paracelsus quoque mercurium, prae reliquis medicaminibus in Syphilide commendavit 9). — Tandem usus hydrargyrii in vulgus emanavit; inventa est copia praeparatorum ejusdem et methodorum ea adhibendi, usque dum sub finem saeculi praeteriti et finitium hujus hoc metallum etiam contra alios morbos in auxilium vocaretur, compositionibus inventis melioribus, et methodo simpliciore reddita.

Mala ex parum apto usu hydrargyrii orta jam primi auctores, qui de Syphilide ejusque cura scripserunt, non omitunt, nec tamen nisi phaenomena, vehementes salivationes subsequencia, ulcera oris, lapsus dentium et similia memorant. Quibus adnumerandi sunt plures auctores saeculi XVI., quorum commentationes in collectione Luisini reperiuntur. Idem valet de scriptoribus saeculi XVII., qui tamen minus attentis scrutatores hydrargyrii effe-

8) Sprengel l. c. Bd. 3.

9) ibid.

ctuum fuisse videntur, cum evitari non potuerit, quin, pro more tunc consueto illud adhibendi, pernicioſa mala ſequerentur. Saec. XVIII. medici cautioreſ facti in adhibendo hydrargyrio, prioreſ methodoſ vituperabant et plura ſcripta pro hydrargyrii ſublimate uſu et contra compoſita ſunt. Phaenomena etiam infauſta, interdum mercurii uſum comitantia non neglecta ſunt, et ſi nondum ut propria morbi forma diſcernebantur, ſed modo effectus ſimultaneuſ mercurii et luiſ venerea, modo ſequela morbi aliuſ, in corpore latentis, e. g. Scrophularum, Scorbuti, carcinomatſ, hac ratione prodeuntis, judicabantur. — Saeculo XVIII extremo morbi, quem mercuriuſ procreare poteſt, jam diſtinctiuſ mentio facta eſt, ut in Kornbecki hiſtoria morborum a mercurio excitatorum. Vienn. 1776, poſt in John André Observations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. London 1779. Hecker 10) in capite ſingulari de morbo ex abuſu hydrargyrii orto, loquitur, et Rudolph in diſſertatione ſua de opii in luiſ venerea ſanatione efficaci. Erlang. 1792, luem veneream ab hydrargyroſi diſtinguendam eſſe monet, quod priuſ jam a Girtannero 11) factum. Angliſ et praecipue Mathiae eſt tribuendum, quod noſtriſ temporibuſ haec reſ denuo mota et examini ſubjecta eſt.

10) Deutliche Anweiſung die veneriſchen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln. Erlang. 1792.

11) Abhandlung über die veneriſche Krankheit. Gött. 1783.

Etiſ concedaſ Mathiam in inveſtiganda hydrargyroſi juſto longiuſ progreſſum eſſe, eamque ſaepiuſ inveſtigare voluiſſe, ubi non eſſet, tamen adverſario 12) ejuſ aſſentire non poſſum, qui ſere omneſ morboſ, mercurialeſ exiſtimari ſolitoſ, pro inveterata, larvata, non plane ſanata et immutata lue venerea haberi et inunctionibuſ recte inſtituendis ſanari vul.

## II.

### Quaedam de hydrargyrii in organiſmum humanum agendi ratione.

Si nobiſ hydrargyrii inſignem peculiaremque, ſpecificam ſic dictam, in organiſmum noſtrum agendi rationem, qua Syphilidem ſanat, ſatiſ explicandi poteſtaſ non deeſſet, facile ſane eſſet intellectu, quomodo mercuriuſ malum ſibi peculiare producat. Sin vero reputamuſ ſententiaſ medicorum de hac re, quaſ omneſ aſſerre longum nec neceſſarium eſt, evidentér apparebit, nulli tot diverſorum ſyſtematum, quae tria jam ſaecula inter medicos vigerunt, contigiſſe, ut interrogationem ſolveret, quomodo mercuriuſ ſanaret luem. Neque etiam id tamdiu licebit, quamdiu ignota fuerit natura contagii ſyphilitici, ejuſdemque in

12) Dr. G. Wedemeyer in Ruſt's Magazin für die geſamte Heilkunde. 9. Bd. 2. Heft.

corpus humanum impulsus, et quamdiu processum illum, qui materiae mutationem perpetuam perficit, non satis perspectum habuerimus. — Noli igitur, lector benevole, expectare ab hisce plagellis remedii huius enucleationem, quod attinet ad ejus agendi modum; hoc unum exponere conabor, quomodo aliquatenus phaenomena mercurii usum sequentia, secundum leges organismi humani, indicari queant.

Remedia nescio an non possint agere in organismum, nisi ita, ut in humores nostros recepta, hos commutent, quo fit ut simul mutetur formatio non minus quam actio solidorum, quorum immutatio rursus vim habet ad humores in organismo parandos. Ergone omnino caremus remediis dynamicis tantum agentibus, id est, talibus, quae organismi actiones commutare possint, materia ipsa antea non mutata? caremus sane, quippe quum remedium omnium maxime volatile efficiantiae suae phaenomena eo tantum praebent, quod hoc vel illo modo invadat corporis materiam mutetque. — Uti consuevimus vocabulo medicaminum dynamicis agentium de iis, quorum primum, materiam commutantem effectum ignoramus, quorumque phaenomena tantum auctae, deminutae vel commutatae actionis, ex primario effectu originem trahentia, cerni possunt. Haec distinguimus ab iis, quae chemice agunt, in quibus evidentius materiae mutatio, secundum leges chemicas facta, apparet. — Omnia haec ad mercurium transferre possumus; est sane hic

contagio syphilitico, si chemicam naturam spectamus, quasi oppositus; extinguit enim et coercet virus, quod tanquam concretum quid nobis fingimus, quum natura lege convenientiae ad illum locum remedium dirigit, quo contagium vastationes protulerit. Mercurius vero dynamicis quoque in organismum agit, quippe qui actiones corporis; infesto contagio ita mutatas, ut virus syphiliticum procreare conarentur, sic determinet et modifcet, ut procreatione omissa, procreatum propulsare studeant. — Jam vero, quamvis sic nequam, quomodo mercurius luem sanet, explicetur, neque omnino, ut modo vidimus, explicari possit, tamen peculiarem huius remedii efficientiam hanc si esse crediderimus, viam fortasse reperiemus, qua ea phaenomena, mercurii usum sequentia, aliquantulum explicari possint, quae prodeunt, si specificam suam contra contagium syphiliticum non ostendat vim Mercurius.

Actiones organismi ita ergo sunt mutatae, ut virus, mercurio deletum aut immutatum, sicuti mercurium ipsum ejicere studeant, quod assequi possunt organis secernentibus, renibus et prae ceteris cute. Usus enim satis nos docuit, hac tantum conditione, ne turbentur functiones secernentes, luem mercurio sanari; contra vero, si desit haec conditio, non abesse exitiosam in corpus actionem, non excedere virus ex organismo, et novum erumpere malum. — Non semper tamen, sed sub certa tantum conditione vis natu-

rae medicatrix tam facile vincitur, immo tunc quoque aliud habet effugium. Scilicet, cessante illa conditione, aut tanta ejus copia in organismum illata, ut hic discernendi via normali et naturali liberari non possit materia aliena, reactionem universalem in mercurium observare licet; febris oritur, quae aliis morbis saepissime salubris fuit. Vasorum sanguiferorum actio praecipue incitatur, qua quum omnes perficiantur secretiones, hae majore etiam cum vi, actione aucta procedent, cutis perspiratio aucta saepe mala avertit secutura, aut organorum salivam secernentium actio excitatur, salivatio oritur vel diarrhoea salivalis.

Quid est autem, quod nos commoveat, ut saluiferum, tanquam criticum salivationis effectum statuamus? Videamus, annon hic quoque experientia facta nobis suppeditet, unde pateat, talem sententiam sine temeritate proponi posse. Chemia analytica de hac re certius nos edoceret, in saliva salivantium mercurio ostendendo; sed ad hunc nondum perfectionis gradum pervenit, ut substantiae, in corpus illatae, et quo processu nescimus mirifice mutatae, illa adjuvante, manifestentur in secretis corporis. Attamen ut experientis, quae mercurio et pure syphilitico, in chemico catillo commixtis, instituta sunt, nequaquam vis remedii in morbum venereum demonstratur, ita etiam non est, quod, ubi mercurius in saliva, adhibitis reagentibus, non investigetur, praesentiam ejus, experientia repugante, omnino negemus. Hac autem

edocti scimus, salivam salivantium odorem spargere metallicum, mercurialem, eumque ex certis partibus praecipue orientem; cognovimus, vel afflatu salivantium in oris cavitate aliorum, adhuc sanorum, ulcera mercurialibus simillima gigni; cognovimus, in nosocomio, quo aegroti curentur, in quibus salivatio mercurio fuerit excitata, in alios quoque hanc transferri. Unde porro acris corrodingi vis salivae, quae in cavitate oris, et devorata, in totum exercet tractum intestinorum? Unde iniqua illa, quae suppressionem salivationis sequentia, videmus? 1) Experientia denique comprobatur opinio nostra, quippe quum, qui febre mercuriali et salivatione vexantur, rarissime, et tunc tantum, si mercurius maxima in copia incaute adhibitus fuerit, malo mercuriali corripiantur; contra vero scriptores 2) constitutionem nonnullorum certam nominant, qua praesente, nullus omnino specificus mercurii effectus in organa secernentia, praecipue in glandulas salivales, cernebatur, ideoque etiam curatio syphilitidis perdifficilis erat, facillimeque hydrargyrosis exoriebatur. — Negari quidem non potest, dosi mercurii interdum parva salivationem jam excitari et tum haud necessariam videri remedii remotionem, sed singularem, qua mercurio quidam afficiantur,

1) Mathias l. c. 210.

2) ibid. 95. — Joh. A. Schmidt Vorlesungen über die syphilitischen Krankheiten und ihre Gestalten. Wien 1812.

rationem hic respiciamus necesse est. Sunt enim non pauci, quibus insita esse videatur Idiosyncrasia quaedam contra mercurium et tanta quidem, ut vel minimae doses acriter nec aliter ac venena in Organismum agant, quibus ut liberaretur corpus, quovis modo laborat, nausea oritur, vomitus, diarrhoea vel salivatio. Huc pertinent, quae Schmidt 3) adnotavit, de vario modo, quo mercurium recipiant cutis, intestina et glandulae salivales, quae modo parva jam mercurii dosi corripiuntur, modo, nulla ratione excitari possunt; tunc vero alia in conspectum veniunt phaenomena periculosa. — Omnes consentiunt, ubi singulares ob causas mature jam excitata fuerit salivatio, curationem syphilidis multo difficiliorem esse.

Neque vero, quum hanc defendo sententiam, salivationem salutaris esse conatum ad noxias materias removendas, is sum, qui amplectar vulgarem olim apud medicos opinionem, salivationem necessariam esse ad luem sanandam et summum curationis finem. Certe nos non fugit, naturam tunc tantum hanc, ad removendam vim noxiam, eligere viam, quum impediatur, quominus idem perficiat alia via, faciliore et innoxia. Salivationem non nisi magna mercurii copia corpori tradita, et renum cutisque actione turbata, oriri experti sumus; praeterea cognitum habemus, calore praecocem impetum in organa

3) l. c. 65.

salivalia, in iis etiam, qui propter habitum corporis salivationi maxime obnoxii sint, retardari. Quodsi respexerimus curandi modum, quem medici antiquioris aetatis, morbo syphilitico curando necessarium putabant, quo syphilis non solum non funditus semper exstinguebatur, sed, magna salivae jactura, nutrimentorum penuria, doloribus, agrypnia etc. varii morbi efformabantur asthenici, sat superque elucebit, nec utique necessarium nec utile esse, ad luem sanandam, et mercurium e corpore removendum, ut organa salivalia afficiantur. — Quamquam altera ex parte cavebimus, ne modum excedamus et iis assentiamur, qui irritationem organorum salivarium vitandam esse putant; negari enim nullo pacto potest, sub certis conditionibus, in certis hominibus salivatione mala averti majora; negari nequit, certas syphilidis formas non repelli, priusquam organismi universalis reactio in mercurium et prodromi excitatione salivationis appareant. Medicus igitur ad luem sanandam, non debet prorsus necessariam existimare salivationem, sed prodromos ejus criteria habere universalis mercurii actionis in organismum; tum vero eliminationem, quam natura coacta perficeret salivatione, in alia organa percerentia, quorum irritatio minus perniciosa sit corpori, transferre studebit; quod si minus successerit, naturam gubernetur medicus, ne conatus ipsius salubres a via recta aberrant.

Haec mihi praemittenda videbantur, priusquam

illa afferri possunt symptomata, quae a mercurio, si specificam suam contra luem veneream non exercuerit vim, aut, morbo syphilitico sublato, in corpore remanserit, inimiceque denuo in illud egerit, procreari solent; hic etiam agendi modum mercurii explicare non possumus, apparet vero hic quoque ille specificè agens, quippe quum nulla alia cognita sit materia, quae, corpori illata, tale malum progignere possit. Quodsi mercurius secretionibus, quibus removeri debuit, turbatis, aut ob causas externas, aut copia nimis magna percepta, nihil in contagium syphiliticum agens in corpore retineatur, tum partim remedium hocce in iis locis, in quibus natura ex illo fructum capere voluerit, ad aliud quoddam extinguendum virus, curationem, fortasse jam inceptam, impedit, ac mala gravissima excitabit, partim in humores receptum hoc sua quadam ratione commutabit; eoque vim organismi productivam in discrimen vocabit, et tam singulari morbo afficiet, ut natura nec mutationibus, quas mercurius procreare studet, obistere, nec mercurium ipsum removeere possit. Ut vero nullum systema partium corporis humani ita ab aliis sejunctum cogitari potest, ut solum per se agat et patiat, ita hic quoque systema irritabile et sensibile simul cum mutata reproductione morbo corripiuntur; humorum resolutione nata debilitas et diminuta solidorum cohaerentia, illorum rursus commutationes et parit et conservat; status denique oritur

scorbaticus. Systematis nervorum actio penitus laeditur, unde debilitatis symptomata, tremor, paralysis etc. oriuntur. Quae cum ita sint, restitutio etiam et regeneratio materiae, quum nutritionis organa turbata sint, impeditur, quo fit, ut organismus in integritate sua non amplius permaneat et magis magisque, extinctis et destructis organis nonnullis, febre hectica conficiatur.

Jam vero jure quaeri potest, utrum omnia, quae in hydrargyrosi apparent, phaenomena, ex noxia tantum mercurii vi manent, an contagio syphilitico etiam culpa attribuenda sit. Docet enim experientia mercurium saepe statim, antequam virus venereum diruerit, phaenomena noxia sua peculiariter monstrare. Nunc quaerendum est, virusne syphiliticum tum agat in corpore, an, a mercurio quasi oppressum, quiescat, et remoto mercurio rursus appareat? Assentiri non possum priorum quorundam medicorum sententiae, qui, cum peculiarem morbum, quem mercurius progignere potest, ignorarent, periculosissima phaenomena, luem comitantia, ex actione sociata luis et hydrargyrii explicare studuerunt. Pro hac sententia hoc unum afferri potest, quod utrumque virus simul exstat in corpore, id quod, ut jam prius dictum, negari nequit. Quaedam autem observationes verisimile reddunt, contagium syphiliticum, mercurii vi sua privatum, quasi oppressum in corpore quiescere; reperimus enim phaenomena venerea, mer-

curialem naturam prae se ferentia, remota causa hujus, denuo pristinam formam recipere et rursus mercurii opem postulare. Sic Wendtius<sup>4)</sup> de aegrotto loquitur, qui, post usum hydrargyrii, parum convenientem, omnes dentes amiserit, Syphilide nihilominus remanente, quae duobus demum annis post curationi mercuriali convenienti et cauta cessavit. Porro saepius hydrargyrosis, luè venerea jam plane sanata, apparet, neque tunc, hac sublata, novum malum in conspectum venit. Eodem pertinent observationes, secundum quas hydrargyrosis alios quoque morbos, non syphiliticos, sequebatur. Et quid impedit, quaeso, quominus virus venereum et mercuriale in corpore una adsint, nec tamen necessario utrumque vim suam exercent, cum similia in aliis morbis contagiosis reperiantur? Loquuntur enim scriptores de infantibus, quibus variolae insertae erant, et qui simul a morbillis corripiebantur, ubi tum demum, quum morbilli decursum suum peregissent, variolae apparere<sup>5)</sup>.

### III.

#### De morbo mercuriali in genere.

Hydrargyrii praeparata, ad morbum aliquem

4) Die Luetsuche in allen ihren Richtungen und Formen v. Dr. Joh. Wendt. Breslau 1825. 298.

5) Reil Cur der Fieber. B. 5.

sanandum, organismo humano illata, certis quibusdam conditionibus, ipse statum morbosum corporis permanentem, quem morbum mercurialem vocamus, procreare possunt. Quod malum, cum plerumque solet usum mercurii in morbis venereis sequi, in aliis vero non nisi perraro huc usque observatum sit, meum etiam studium tantummodo in eo versabitur, ut morbum illum, potissimum quatenus ad luem referatur antegressum, describam.

Negari non potest hujus morbi diagnosin multas habere et maximas difficultates, partim quod tantam prae se fert cum illo morbo, ad quem sanandum adhibetur mercurius, similitudinem, partim quod, eodem non sublato, jam apparet ipse aut certe radice agit. Quo fit, ut saepenumero morbi forma adeo sit implicita, ut phaenomena ejus curandi regulam firmam nobis praebere non possint, nisi praeteritas simul respiciamus res, et potius id, quod pejus est, malum mercuriale praesens, statuamus; tunc enim semper nobis permanebit firmum criterium, utrum, mercurio omissa, aggravescat malum, necne. — Spero ut, si, descripta primum morbi natura in genere, et pluribus positis gradibus, localium affectionum formas singulatim tracta vero, claram quandam morbi imaginem componere mihi contingat.

Morbus mercurialis, dum oritur, id unum nobis diagnosticum adfert momentum, quod, continuata per certum temporis spatium, — quod quidem in ge-

nere constitui non potest, — mercurii usu, incipiens jam fortasse luis formarum sanatio procedere desinit, vel plane non incipit, immo vero status deterior exoritur, siquidem, quod saepe fieri solet, mercurii usus continuatur, dum impeditae sanationis causa praeparati, in usum vocati, inertiae adscribitur, aliudque adhibetur. In quo tamen distinguendum, utrum mercurius jam vim habuerit in totum organismum et in glandulas salivales, necne; quam si habuerit, mercuriale aliquod malum haud facile orietur, quandoquidem haec ipsa phaenomena causae remotionem adjuvant, ac praesertim cum medicum jam satis ad remedii hujusce usum intermittendum admoneant. Sublatis demum illis phaenomenis, tum morbi decursus, tum novum adhibendi mercurii periculum docebunt, utrum localibus, quae adhuc supersint, affectionibus, venerea insit an mercurialis natura. Sin vero nulla est, quae medici curam dirigat, nec febris, nec salivatio, aut si ipse minus attento animo ulcerum formam etc. observat, hydrargyrosis ex primo hocce stadio, in quo mercurium submovere externa-que apte ordinare suffecisset ad malum modo natum extinguendum, saepe ab ipso medico in secundum transfertur stadium.

In hoc stadio malum certis quibusdam phaenomenis jam evidentius distingui poterit, quorum praecipua postea singula exponam; hic autem in genere tantum eorum mentionem faciam, magisque illud

illud quaeram, quis sit eodem tempore totius organismi status.

Quae adhuc perdurant luis mala, continuato mercurii usu, indies pejora redduntur, aut jam sanata denuo apparent. Atque ita omnes luis formae, ulcera genitalium, bubones, ulcera oris et faucium ossium tumores, exanthemata, rursus possunt ita erumpere, ut mercurialem formam induant. Dicuntur etiam gonorrhoeae jam sanatae reuovari et chronicum acquirere decursum; itemque testiculi glandulaeque scirrhusa in cancrosa verti ulcera. — Ac tum quidem universum affectum esse organismum phaenomenis quibusdam elucebit, initio quidem lassitudine, aegritudine, laesa digestionem, deinde proprio quodam aegroti habitu, jure mercuriali vocato, quem cognoscimus ex oculorum, profundius in orbitam recedentium, quasi squalido nitore, ex annulo caeruleo et tumescente, qui palpebram circumdat inferiorem; simul genarum macies, nasus acutus, labia et gingiva pallida vel subcaerulea reperiuntur. Schmidt 1), qui praecipue ea animadvertit, annotat etiam, faciem albo rubroque colore praeditam, qualis flavorum solet hominum esse, squalidum pallidumque, sicut subfuscum lividum, et viridam flavidum induere calorem. — Observantur porro gustus quasi metalli cujusdam, cupri, vel aceti diu in vasibus

1) L. c.

cupreis servati 2), taedium porro, dysphagia, cum inferioris maxillae immobilitate saepe conjuncta, dolor in ore acerbus quasi pungens; simul dentes obtusi, instabiles et longiores quasi redduntur, et sicut gingiva cano quodam et tenaci obducuntur mucos. Digestio magis magisque perturbatur, deest appetitus, et vel diarrhoea, copiosa acris serosi humoris excretio, apparet, vel illa cum alvo adstricta alternat. Quo quidem nutritio valde impediatur necesse est, ita ut aegrotum omnes paulatim vires deficient, quod partim etiam haemorrhagiis, dissolutione humorum facile orientibus, efficitur. Huc accedit status organismi maxime sensibilis, praecipue atmosphaerae mutationibus obnoxius, unde refrigerationis periculum, in usu jam mercurii contra syphilidem auctum, hic magis etiam timendum est, quo fit, ut febres et singulorum organorum inflammationes tam facile exoriantur; vel, quod saepius accidit, febris jam ab initio cum morbo conjuncta est, indolem maxime erethisticam prae se ferens, mercurii stimulo procreata.

Est summus morbi gradus, stadiumque ejus ultimum, si ad supra memorata phaenomena, magis magisque ingravescentia, febris accedit hectica. Augetur indies infirmitas, aegroti tremorem et plumbeam quasi gravitatem sentiunt in omnibus membris, vexantur capitis dolore, spasms, aliisque nervorum affectio-

nibus, morosi sunt, atque acerbissimis cruciati doloribus, noctes pervigilant; calore, horripilationibus interrupto, et oris siccitate, siti; pulsu frequenti et parvo, ac sudoribus colliquativis febris hectica significatur. Pedes simul oedematosi intumescunt, et singularum etiam cavitatum hydropes, vel aliae cachexiae, e. g. icterus oriuntur; desuunt capilli, cadunt dentes, et non raro paralyses, e. g. amaurosis, nascuntur.

Omnes, qui tractaverunt hanc rem, id esse praecipue in morbi diagnosi respiciendum dicunt, quod omnia illa, quae modo memoravimus, mala vel minima mercurii dosi deteriora redduntur; quod quidem indicium, quamquam non nisi aegroti damno rectam nobis ostendit viam, tamen imprimis respiciendum est. Constat enim, permultos esse medicos, qui, quodcunque ulcus in suspecto quodam corporis loco appareat, ad luem pertinere credentes, ad mercurium statim adhibendum parati sint; atque saepius fieri potest, ut aegrotus, medico, cujus curatione male suo se non liberatum sentiat, diffusus, alium quendam arcessat, qui, cum malum priora medicamina successum ex certi cujusdam mercurialis, quod ipse minus approbat, praeparati usu, profectum esse existimet, suam mercurii contra syphilidem adhibendi rationem omnium praestantissimam ratus, hanc ipsam nunc quoque experiendam esse putat. Tunc tane phaenomenorum, mercurii usum sequentium,

2) Carl G. Schmalz Diagnostik. Dresden 1816.

depravatio, incautissimo etiam medico, quam in re peccatum fuerit, indicabit. Valet idem diagnosticum ex nocentibus, quando prior mercurii usus medico celatur.

Nescio an sint, qui in hac nostra morbi mercurialis diagnosi nullam salivationis, eorumque, quae ad ipsam pertinent, symptomatum, in affectis oris partibus apparentium, mentionem esse factam vituperent. Sed salivatio symptomatibus, huic morbo propriis, adnumeranda non est, quippe cum, quod jam diximus, experientia edocti sciamus, hydrargyrosinum, quum nulla praeierit salivatio, praesertim apparere. Posse tamen, praesente etiam salivatione, malum illud oriri, negare quidem hand licet. Tum vero tanta jam mercurii copia in corpus intravit, ut hac via se eo liberare natura nequeat, utque ille, organismo affecto, propriam suam morbi formam efficiat. Quo facto salivatio, si diutius adfuerat, omnino non jam mercurio altur, neque enim natura ita eum immutare potest, ut eundem emittere queat cuiusdam secretionum suarum ope, quippe quae omni in metallum potestate sit destituta; sed tum potius eadem causa continuatur salivatio, qua alias quoque secretiones, irritamento aliquo auctas, etiam sublato hoc, continuari videmus, aliqua organorum salivam secernentium, nimis irritatorum, imbecillitate. Neque igitur eorum opinionioni repugno, qui in salivatione inesse quoddam ad removendum mercurium momentum, si pro veritate ne eos quidem praetereo casus, ubi

malum mercuriale, praegressa vel adhuc praesente salivatione, nascitur. — Nequaquam autem iis assentiri possum, qui praegressam salivationem ut momentum diagnosticum hydrargyrosis afferunt, ut Haase 2), qui sic de morbo mercuriali loquitur.

„Leicht sind freylich diese Zufälle mit denen einer im hohen Grade ausgebildeten Lues zu verwechseln. Doch die genaue Ausmittelung des Causalmoments, und der Umstand, das dieselben erst erfolgten, als die Symptome der Syphilis verschwunden waren, dagegen ein heftiger und anhaltender Speichelfluss vorausging, müssen hier die diagnose des Arztes sicher stellen.“

Nec ullo modo putandum est, syphilidis phaenomena semper evanescere oportere, priusquam mercuriale malum appareat. Saepe enim symptomata venerea permanentia, ac paulatim in mercurialia mutata, et diagnosis reddunt difficiliorem et medico faciliorem parant erroris excusationem.

#### IV.

### Hydrargyrosis formae.

#### 1. Ulcus mercuriale.

Nascitur in omnibus corporis partibus, praesertim in quibus syphilitica quoque ulcera oriri solent,

2) Ueber die Erkenntnis und Cur der chronischen Krankheiten. Wien 1820. B. 3. 498.

quippe cum aut ex iisdem, dum adsunt, efformetur, vel aliud ulcus, prius venereum, jam sanatum, denuo erumpat, indolemque induat mercurialem. Quod quidem timendum, si ulcus, adhibito mercurio, aut sanari omnino non incipit, aut si inceptus fortasse primo sanationis processus subito subsistit, novaeque nascuntur exulcerationes; — sin vero, continuato mercurii usu, malum augetur, jam mercurialem naturam assecutum his fere signis cognoscitur: formam habet hic illic incisam et quasi dentatam, in fundo pallidum ac saepe spongiosum est, dum in circuitu, in quo celerrime procedit exulceratio, inflammationis praelucet rubor; margines circumverjuntur eoque majores videntur atque impares, saepe acuti sunt, ita ut cultro quasi reperiantur percisi 1); mercuriale ulcus scorbutico non semper eo, quod facile madet sanguine, simile est; — plerumque summa est sensibilitate, et maximos affert dolores, quo quidem non minus quam eo, quod celerius serpit, ab ulcere venereo distinguitur. Videntur interdum quaedam ulceris partes ad sanationem inclinare, aliae etiam re vera, idque in ipso centro sanescunt, attamen subito modo in hac modo in illa corporis parte nova erumpit funesta exulceratio. Saepe etiam fieri solet, ut ad alteram ulceris partem latius serpat suppuratio, altera crustis gangraenosis obducatur, quae tamen cito detrudi so-

1) Mathies l. c. 75.

lent. Evidentissimum ulceris mercurialis, ex quo potissimum, cognoscatur signum, hoc esse dicitur, quod alio corporis loco sanatum, alio denuo malignius exoriatur 2). Quae quidem ad sanationem propensio ne in eo quidem morbi mercurialis stadio, cui nullum amplius auxilium sperari potest, abesse fertur. Quid, sicuti etiam magna horum ulcerum ad gangraenam efficiendam inclinatio, quae quidem ulceris efformationem aut praecedat; (ubi tunc e venoso quodam livido, crustaque oblecto maculo nascitur ulcus) aut sequitur (quo facto ulcus jam inchoatum oriente gangraena latius vagatur) haud dubie sufficiunt ad mercuriale ulcus ab aliis distinguendum. Quando sanata jam ulcera denuo erumpunt, dolor plerumque in eodem corporis loco antecedit, cicatrix inflammatur, citoque incipit exulcerationis processus. — Praeterea e quibusdam exanthematum formis ulcera possunt enasci; crustae enim, pustulas tegentes, pure sub iis collecto, decidunt, et ulcus in vera forma apparet, praesertim in superficie magis magisque serpens. Ejusmodi ulcera saepe in facie atque comata capitis parte occurrere dicuntur 3). Remanent plerumque rubrae cicatrices et profundae, quae nunquam firmae sed tenerrimae et maxime sensibiles facile denuo dehiscunt.

2) ibid.

3) Hecker l. c. 286.

• Ulcus mercuriale in partibus genitalibus, cancer mercurialis, oriri potest, primum ex venereis, aut adhuc patentibus, aut jam sanatis ulceribus, deinde etiam in sauciis excoriatis genitalium locis, quos nonnunquam balani blennorrhoeam comitari videmus, plerumque obvios in hominibus, adstricto praeditis praeputio, si perperam, tanquam syphilitici, mercurio curantur. Prima, quae in cancris, mercurialem naturam induentibus, observatur mutatio, etiam hic ea est, ut sanationis processus cesset, ulceraque, adhibito nihilominus mercurio, per aliquod tempus stabilia evadant; postea autem, continuato mercurii usu, exulceratio crescit, atque ulcera formam, supra memoratam, monstrant. Diligentior ulcerum in genitalibus, plerumque primaria luis forma prodeuntium, observatio ad malum mercuriale perspicendum haud parvi sane momenti est; quippe quorum sive melior, sive pejor conditio, ad hunc vel illum mercurii effectum nos attentos reddere debeat; nec forma autem sola ulcerum nobis dux esse potest, propterea quod cancri venerei non sub eadem semper forma occurrunt, partesque jam nominatae, aliarum quoque non syphiliticarum inflammationum exulcerationumque sedes esse solent. Externorum autem perponderatio et periculum, mercurii usum ad tempus intermittendi, nos in diagnosi omnino certiores facere possunt. — Loquuntur, qui de lue scripserunt, etiam de cancris benignis et malignis, hosque ita designant, ut maxi-

me similes esse mercurialibus eluceat, quorum quidem malignitatis causam in corporis constitutione debilitata, in boni aëris cibique inopia, in epidemico quodam momento, atque in mala curandi ratione, statuendam putant. Ejusmodi autem ulcera, — quod quidem a mercurialibus certo distinguuntur, — apto regimini, cauteque mercurio adhibito semper cedent. — Illa autem, quae a nonnullis phagedaenica nominantur ulcera, saepe mercurialia fuisse mihi videntur; hisce enim simillima ab illis describuntur, dicentibus; esse ulcera cito serpentina, quae, etsi levissimo sub tactu, maximos jam afferant dolores, nec semper cedant mercurio. — Videmus porro, praesertim post mercurium magnis et celeriter propinatis dosibus adhibitum, ulcera, formis nullo modo mutatis, facile sanguinem emittere, quod haud dubie mercurio quidem efficitur, neque tamen ideo ulcera mercurialia sunt, quae non nisi in senioribus morbi stadiis sanguinem propellunt, quando exulceratio jam longe progressa est, et simul vasorum systematis infirmitas humorumque dissolutio maxime jam increvit; cum in his contra ulceribus, de quibus nunc sermo est, emissio sanguinis vi forti mercurii in partes exulceratas, et scorbutica quadam, quae adesse videtur, diatesi, efficitur.

Nunc respicienda esse videntur, quae de localitate ulceris mercurialis statuuntur. De ulceris syphilitici localitate sententia, a Wendtio satis refutata, causam praebuit usui locali mercurialium, quae in-

terdum prodesse possunt; ex quo quidem usu locali malum locale mercuriale Mathias nasci putat. Ad hanc vero opinionem minime accedendum puto; nam si mutatur forma ulcerum syphiliticorum, usu locali mercurialium inconvenienter adhibitorum, attribuendum hoc potius censeo excitanti et causticae remediorum vi, quam exercent in partes inflammatas et valde irritabiles, cum eadem remedia magnam saepe afferant utilitatem ulceribus atonicis; porro alia quoque caustica eandem ulcerum formam, qualem exhibet usus mercurialium localis, efficere possunt. Ipse Mathias dicit 4).

„Ist das Mercurialgeschwür blos local und von keiner langen Dauer, so wird es schon dadurch seine venerische Beschaffenheit wieder annehmen, dass man mit dem Quecksilber einige Tage aussetzt und hindernde reizertödtende Mittel anwendet.

Morbi, nosocomio nostro observati, historia, erit argumento, quanta sit difficultas cognoscendi mali mercurialis in primis initiis; ubi cum peculiarem quandam formam respicere non possemus, docuit nos experientia, ulcera non amplius syphilitica sed mercurialia esse, quippe quae in pejus abirent post iteratum mercurii usum.

W. sutor, xxv annos natus, post coitum peractum cum prostibulo, gonorrhoeam et ulcus syphiliti-

4) l. c. 155.

cum in praepotio glandis nactus erat. Medicus, quem, eodem loco degentem, in consilium vocaverat, praescripsit ei dosin calomelis, matutino ac vespertino tempore sumendam. Quo remedio cum per octo dierum spatium aegrotus usus esset, nec domi remansisset, vehementi salivae fluxu laborare coepit, quo affectus die XXIV. mens. Decembr. in nosocomium receptus est. In exploratione invenimus ulcus syphiliticum penis, condylomata in ano et excoriationes in cavo oris; salivatio jam, aegrototo teste, deminuta erat. Affectiones, quas modo descripsimus, syphiliticas habendas esse censuimus, et sublato salivae fluxu, mercurii denuo adhibendi consilium cepimus. Aegrototo, balneo adhibito, decoctum stipit. dulcamer. et radic. Sassaaparill. pro potu quotidiano propinabatur. Tali modo duarum hebdomadarum spatio evanuit salivatio et prius enarratae affectiones in melius mutari visae sunt. Cum vero virus syphiliticum corpus nondum reliquisset existimaretur, denuo aegrototo hydrargyrium muriaticum corrosivum, matutino et vespertino tempore pro octava grani parte sumendum, praescriptum est. Paulo autem post, paucis granis praeparati mercurialis ab aegrototo sumtis, omnia in pejus versa sunt; ulcera penis ciebant dolores et denuo exulcerabantur. Aphthis similes excoriationes cavi oris et faucium, quae fere evanuerant, distincte apparebant; quare, mercurii usu omisso, praescripta sunt: primo hepar sulphuris, tum vero decoctum rad. Sassaaparillae cum

acido nitrico. Qua ratione, affectionibus istis penitus sanatis, aegrotus, tribus postea hebdomadibus, sanus e nosocomio emittebatur.

Ulcus mercuriale, quod, in ore et faucibus ap- parens, genarum superficiem internam, gingivam, ve- lum palatinum, linguam et posticum pharyngis parie- tem occupat, vario modo enasci potest. Exoritur enim, cum aut venerea his in partibus ulcera, aut aphthis similes excoiationes, quales inveniuntur in pseudosyphiliticis morbis, si perperam tanquam syphi- litici curantur, mercurialem characterem assumunt. Sed inter salivationem etiam, ac solutionibus mercu- rialibus extrinsecus adhibitis, ulcera possunt oriri, quae tamen plerumque pro superficialibus tantum in- flammationibus atque excoiationibus membranae oris, mercurii irritatione genitis, habenda, nec, nisi eodem tempore inter salivationem, magna mercurii copia ad- hibita, generale malum mercuriale appareat, ulcera haec, excoiationibus formata, mercurialia vocanda sunt. Ulcera haec, nisi ex aliis, quae jam adsunt, oriuntur, ex simplicibus excoiationibus albis, aph- this similibus, efformari dicuntur; processus excoia- tionis in una alterave tonsilla primum plerumque ori- ginem trahit, et celerrime, sed in superficie magis<sup>5)</sup>, ulcus serpit; quod cum malignius fieri minatur, si- mul glandulae proximae cum dolore tumescunt, et

5) Wandt l. c. 297.

maxilla inferior etiam immobilis fit<sup>6)</sup>. — Saepenu- mero vero maximam habent ulcerum venereorum si- militudinem, et hic quoque diagnosis nostra, antece- dentis conditionis simul habita ratione, confirmari potest. Investigandum enim, utrum jam antea adfue- rit ulcus, quidque mercurius, in illud adhibitus, valuerit, an post illius usum ortum sit? Nec praetermittendum deinde in diagnosi, quod Mathias<sup>7)</sup> prae ceteris in medium protulit, ulcera haec facile sanata, aliis in locis denuo erumpere. Experientia porro probavit, internos genarum parietes cum lingua rarissime venerearum excoiationum ulcerumque se- des esse. Linguam ulceribus mercurialibus affici posse, Mathias, experientia fretus, commemorat, nec raro, dicit, in posterioribus et lateralibus linguae partibus haud exiguam substantiae jacturam reperiri. Est et alius auctor<sup>8)</sup>, qui iis, quae mercurius se- cum ducit, phaenomenis, tumorem et inflammationem colli, conjunctam saepe cum crusta quadam in inter- na genarum facie, et linguae tumorem cum profun- dis in ea ulceribus annumerat. Cui simile quid in aegrotis, de qua mox sermo erit, observandi nobis erat occasio. — Ulcera mercurialia oris fauciumque fa- cillime redeunt, quod praecipue refrigerationi tri-

6) John André's Abhandlung über venerischen Tripper und venerische Krankheit, aus dem Engl. Leips. 1781.

7) l. c.

8) J. André. l. c.

buendum. Praeterea Mathias mercurialem morbum in faucibus atque ore multo diutius residere, quam in alia corporis parte, contendit. — Quae quum ulcera, ignorata propria eorum natura, pro venereis habentur ac mercurio tractantur, gravissima in conspectum veniunt mala; tunc enim, ulceribus latius atque altius serpentibus, ossa palati carie afficiuntur, immo etiam posterior pharyngis paries ita potest destrui, ut vertebrae colli nudae atque intactae cernantur. 9)

Anna, XXX annos nata, ancilla, pallido hecicoque vultu atque infirma corporis constitutione, die IV mens. Sept. MDCCCXXIV in nosocomium nostrum recipiebatur. In postica pharyngis facie, ulcera praepingui fundo reperiebantur, palatum molle prioribus ulcerationibus funditus fere destructum, jam vero cicatrice obductum fuit. In dorsi linguae parte posteriore prope radicem induratus et prope scirrhosus cernebatur tumor, in antica parte vero tuberculum verrucosum, unde fissurae ad ulcera, inferius sita et margine dentato fundoque praepingui et sanioso praedita, tendebant. Aegrotae voces per nares eduntur et oris exhalitus fastidiosus; cibi, praesertim duri, deglutiri sine impedimento atque dolore non possunt; glandula sublingualis major et duriuscula, in sinistro colli latere abscessus, ovi columbini magnitudine, invenitur. Genitalia nihil, quod primariae infectionis

opinionem excitare possit, ostendunt. Saepe aegrotae de capitis et extremitatum inferiorum doloribus queritur, qui quidem tantum aberant, ut nocte auferentur, ut contra calore lecti mitigarentur; per anni tempus profusus acerque fluor albus aderat, et per tres annos jam catamenia deerant; appetitus minimus, digestio, alvo interdum adstricta, non laesa. Ante annum, quum usque ad hoc tempus aegrotae bona gavisae esset valetudine, dolores colli apparuere, ad quos post duas hebdomades ulcera palati mollis et faucium accedebant. Non multo ante coitum se exercuisse, nec tamen ullum genitalium vitium animadvertisse, confessae est. Per tres menses nullo remedio in auxilium vocato, morbo vero in dies accrescente, mense Septbr. anni MDCCCXXIII aegrotae nosocomii nostri opem imploravit, ubi ad morbum, venerum cognitum, sanandum varia hydrargyrii praeparata adhibebantur. His duos per menses aegrotae, ut ambulatoria, usa est, cum vehemens salivatio exoriebatur; quo facto aegrotae, remediis acceptis diffusa, nosocomium non amplius frequentavit, neque alio modo usque ad mens. Septbr. MDCCCXXIV, quo tempore recipiebatur, morbo suo mederi studuit; eodem tempore etiam ulcera palati mollis consanando clausa erant. Remedia nunc in morbum, mercurialem cognitum, adhibita, haec erant: hepar sulphuris, decoctum radices Sassaparillae et ligni Guajaci. Jam aegrotae, morbo sanato, die X. mens. Octobr. hinc di-

missa est, et nunc post annum jam peractum, bona fruitur valetudine.

Malum hoc in exemplo mercuriale fuisse, non solum mercurius, tam infauste adhibitus, sed melior etiam, cum intermitteretur mercurii usus, morbi conversio, quin etiam ulcerum singulorum sanatio, — quae quidem, cum res externae haud faverent, perfici non potuit, — valde suadent, nec minus quae rarissime tantum consistari solent lœm, linguae ulcera, ejusque scirrhusa induratio.

## 2. Bubo mercurialis.

Ostendunt se in regione inguinali tumores, qui, sive hac sive illâ excitati causa, mercurio male adhibito, naturam prae se ferre possunt mercurialem. Hi mercuriales inguinum tumores, num apparere possint, hand praecedente glandulae malo, causa affa effecto, quod quidem fieri posset, in morbo mercuriali, qui caucto genitalium praesente ortus esset, equidem dijudicare non ausim, neque etiam in scriptoribus confirmatum reperi; ceterum tum difficillima esset diagnosi, nam unum quemque propensioem puto ad credendum, cum cancer jamjam adsit, bubonem luis potius, latius sese propagantis, signum esse, quam inuentis morbi mercurialis. Dum nil adsit, nisi affectae glandulae tumor, deficientibusque aliis symptomatibus, malum mercuriale dignosci vix credam. — Ille inguinorum tumor si naturam mercurialem assumit, dolores, ut fieri solet, crescunt, ipseque saepius

augetur, atque exitum in suppuratione habet, quae eo magis adjuvatur, quo diutius, malo ignorato, mercurius adhibetur. Bubo autem, sive jam est apertus, seu medio in morbo mercuriali sese aperit, celeriter suam ipsius prodet naturam. Scilicet inguinum tumores, bonum autem pus edentes, tunc temporis foetidam secernunt saniem, induratos habent margines et elatos, atque in ulcera transeunt dolorifica et corrodentia. Processus exulcerationis tum celerrime saepe augetur, quo fit, ut nonnunquam paucis diebus cutis et, quam tegit, tela cellulosa destruat, et glandulae nudaae appareant, atque, ut ita dicam, suffossae. Fistulis etiam indies partes affectae corroduntur, et gangraena singulas passim vastatur cutis regiones. Processus exulcerationis adeo saepius penetrat in profundum, ut vasa arteriosa erodantur, novumque profluvio sanguinis aegroti afferatur periculum. Saepè quidem in utroque latere inguinum tumores in talia transeunt ulcera, reapae phagedaenica, interdum autem unum tantummodo destruens apparet, quum alterum minorem ostendat vehementiam. Quae quidem ulcera, nonnunquam vix magnitudinem juglandis egrèdi, et superficialia solum esse, alibi vero majore se pandere circuitu, quin etiam usque ad abdomen penetrare et femora dicuntur, de qua re Mathias 10) exemplum exhibet. Memorant scriptores in compendiis de lue venerea certam quandam bubonum speciem,

10) l. c. 122.

qui pro mea opinione mercurialibus adnumerari debent, quum iisdem, quibus hi, describantur signis, et noxius sit in iis mercurii usus; attamen non semper malignitatem eorum a mercurii abusu ortam statuunt, sed ut e. g. cel. Richter 11) a complicationibus cum arthritide, rheumatismo, scrophulis, ac certa corporis constitutione, vasorum lymphaticorum et glandularum affectioni propitiore.

Exemplum, quod mox enarrabo, notatu dignum est, cum ob tardiores evolutionem, tum ob valde celere propagationem hydrargyrosis, quam etiam luem plane sanatae consequi posse probat; nec negligi debet observatio de utilitate pressurae mechanicae, quae hoc in exemplo non potest ignorari.

Jacobus, rusticus, die XXIV mens. Julii, cancro in glande penis affectus, in nosocomio receptus est. Quum ulcus praese ferret naturam syphiliticam, neque aegrotus concubitum negaret, cura mercurialis incepta est, ita ut per dies octo mane inunctio 5ß unguenti neapolitani applicaretur, vespere Mercurii dulcis, gr. ʒ et ad bibendum propinaretur decoctum specierum lignorum. Quum autem prodromi apparerent salivationis, intermissis his remediis, aegrotus, ut a frigore se servaret jussu, ob alvi obstructionem mixtura solvens ordinata est. Postquam haec signa evanuerant, nec tamen ulcus coalescebat, iterum per tres hebdoma-

des mercarii solubilis Hahnemanni gr. ʒ, mane vespere que sumendum, propinatum est. Symptomata oris affectionis rursus quidem apparuere gradu minori, sed evanuerant, ut primum cura, de qua diximus iterata est; nunc denique ulcus purgari et ad sanationem verti videbatur. Aegrotus quum desideraret, dimissus est, loco ulcers cicatrice nondum obducta, jussus quidem ut subinde nosocomium frequentaret. Obsequente quidem aegrotus huic mandato, tantum abfuit, ut clauderetur ulcus, ut potius recrudesceret, ideoque iterum recepto, de quo mercurius solubilis Hahnemanni adhibitus est. Postquam gr. xx sumisset, patiens die VI mens. Oct., cum ulcus cicatrice obductum esset, dimissus est. Die autem Oct. XXVIII rediit, quum iterum recrudesceret cancer et veterem fere praebere formam; accessit ut glandulae inguinales tumuerint. Quamquam negabat aegrotus se rebus venereis operatum esse, tamen haud confutandum erat edicto ejus, et cum accederet tumor glandularum, aut luem veneream prima cura haud sanatae, aut novum contagium acceptum esse conjici potuit. Utrique casui cum necessarius esset mercurii usus, haecce pilulae aegrotis propinatae sunt: R. Hydrargyr. muriat. corros. Opti puri aa. gr. IV Succ. liquerit. ʒj Aq. destillat. q. s. ut fiant pill. No. LXXX, quas mane vespereque quinas sumeret, nec non tumori emplastrum cicutae et mercuriale applicatum est. Quum haec cura per tres continuaretur heb-

domades, ulcus quidem glandis consanuit, bubo vero discuti haud potuit, ita ut tumor in latere sinistro, quum fluctuatio in eo appareret, cultro apertus, unguento miti ligaretur. Tumor in latere dextro sponte postea rupit. Dum mercurii usus haud intermitteretur, eo usque bubones aperti non cansanuerunt, imo e contrario bubo sinister tarde quidem sed tamen latius se expandit. Ad inunctiones nunc unguento neapolitano usi sumus, sed tantum afuit ut ulcus meliorem adipisceretur formam, ut potius, magis magisque crescens, secerneret ichorem, et dolorificum feret, quo constaret, malum esse mercuriale. Itaque mercurialibus intermissis, ulcus remediis mitigantibus tectum est. Per hoc tempus universalis etiam aegroti status depravatus erat, quod languor et jactatio, deficiens appetitus, obstructions et febris cum pulsu duro et frequenti prae ceteris probarunt. Pro statu igitur ordinata sunt aegroti medicamina refrigerantia leniter solventia. Bubo in latere sinistro magnitudinem ferme palmae explevit, tristissimumque praebuit visum; nonnullae cutis particulae gangraena affectae, simulatque glandulae plane nudaae, sanies secreta valde foetida erat, et minimus quisque contactus vehementissimos excitavit dolores. Obligabatur initio liquamine myrrhae, posteaque decocto corticis Chinae, quae dextri etiam lateris ulceri applicata sunt remedia, quippe quod in pejus verti videbatur. Talis fuit aegroti status sub finem mens. Decbr., minimeque se

praebuit prosperum, neque etiam salubria se probarunt remedia adhibita, cum subito profluvium sanguinis exoriretur media in basi ulceris sinistri. Haud ligari potuit arteria, ideoque ulceri, linteo impleto, penicillum superque spica imposita sunt. Postero die redacta ligatura, meliorem ulcus ostendit formam; sanguinis enim profluvium suppressum, et crusta gangraeuosa detrusa erat. Aegroti, febre remota, decoctum corticis Chinae posteaque radicis Sassaparillae cum acido nitrico ordinatum, et praeterlapso profluvii periculo, quum dolores quam vehementissimi aegrotum vexarent, ligatura omissa, ulcus linteo, decocto quercus imbuto, tectum est. Quum vero die subsequenti novum ortum esset sanguinis profluvium, ligatura premeus cum eadem qua prius efficacia iterum adhibita est, et cum haud ignorari posset magna pressurae mechanicae in statum ulceris vis, continuata est haec curationis via, atque ulcus quater quiescere fomentis e decocto quercus paratis, una cum ligatura supra jam memorata, tectum est. Optimum etiam, cum localis, tum interna, de qua diximus, medela habuit eventum. Quippe quum aegrotus appetitum, et victu nutriende ac roborante vires etiam sensim sensimque recuperaret, cum porro indies ulcera consanescerent, quod quidem eo facilius fieri potuit, quo magis jam initio ichoris ista evacuatio evanisset et suppurationi, ideoque granulationi bonae locum dedisset, — cum ita, inquam, omnia sese haberent,

aegrotus medio mens. Jan. dimissus est plane sanatus.

### 5. Exanthema mercuriale.

Primum observatum est a medicis Anglicanis, cum jam anno MDCCLXXXIII cel. John Pearson in praelectionibus suis memorasse dicatur 12). Haud multo post medici etiam Edinburgenses, inter quos B. Bell 13), hunc morbum observarunt. Primam monographiam anno MDCCIV edidit cel. Dr. Alley 14), hoc malum erythema mercuriale vocans, quam alter mox excepit libellus auct. Dr. Moriarty 15). Anno MDCCCV Dr. Spens opusculum edidit in Tom. I. libri: Medical and surgical Journal. Edinburgh, cujus Tom. II. exhibet epistolam medici cujusdam anonymi, scriptam anno MDCCCV e Madras, qua amico cuidam in Anglia narrat, erythema mercuriale saepius ibi observari. Postea Alley hoc exanthema describit sub nomine hydrargyriae 16). In Germania etiam a cel. Hecker 17),

12) Med. chirurg. Zeitung. Bd. I. 1814.

13) Abhandlung über den böartigen Tripper und die venerische Krankheit, a. d. Engl. Leipz. 1794.

14) An essay on a peculiare eruptive disease arising from the exhibition of mercury. Dublin 1804.

15) Description on the mercurial lepra. Dublin 1804.

16) Observations of the hydrargyria, or that vesicular disease, arising from the exhibition of mercury. Lond. 1810.

17) l. c.

etsi formam ejus distincte haud definit, et ab aliis observatus est morbus. 18)

Exanthema illud minime est certum hydrargyrosis symptoma, qua etiam deficiente, saepe potest oriri. Initium capit ex usu mercurii, non solum in morbis venereis, sed aliis etiam, saepiusque perexiguas sequitur ejusdem doses, si aegroti propria contra hoc metallum idiosyncrasia, aut scorbutica diathesis inest; quin etiam emplastris unguentisque mercurialibus exanthema in eo loco, cui applicata sint, excitari contendunt 19). — Exanthematis eruptionem catarrhus, febris, interdum etiam inflammatio oris et salivatio antecedunt, nec febris desinit cum erupto exanthemate, sed potius augetur. Alley tres formas statuit quoad gradum diversas:

1) Hydrargyria mitis. Cum ardore et pruritu saepiusque cum dolore capitis ac vomitu cutis roseum accipit colorem, et permultis tegitur papulis, seminibus milliis haud dissimilibus, et fluido quodam pellucido, acri et saepe foetido repletis, quae quidem ut fieri solet, scroto, regioni inguinali vicinisque abdominis femorumque partibus insident, unde non

18) Jos. Frank in Act. institut. clin. Vicens. Vol. III. Lips. 1812. p. 22. — Fr. Kopp Dissert. de exanthematibus externum mercurialium usum sequentibus. Landsh. 1817. — Hufelands Journal. 1823. 6. St.

19) Batemanns Darstellung der Hautkrankheiten. 4. d. Engl. von Hahndemann, Halle. 1815.

nunquam latius se propagant, rarissime vero in faciem transeunt. Papulae aut rumpuntur, et crustas formant, ut in herpete, aut siccantur ac desquamantur.

2) Hydrargyria simplex in eo differt a modo descripta, quod vehementiora sunt symptomata praecedentia, eo deinde, quod initio maculae apparent morbillis similes, quae vero mox crescunt atque orbiculares fiunt, et in nodos rubros transeunt, modo clariores, modo fusciores; accedit, ut febris magis conspicua fiat et aegrotus imprimis dolores queratur praecordiorum. Haec exanthematis forma saepe desquamatione finitur, quae iterari etiam solet.

3) Hydrargyriae malignae communia sunt cum simplici initium et decursus, aestus vero in cutem majoribus afficit aegrotum doloribus, ardor ad altissimum pervenit gradum, cutis fusca est aut purpurea et patiens de doloribus queritur in pharynge. Ante desquamationem pustulae magni circuitus oriuntur, adeoque densae corpori insitae, ut universalis fiat cutis desquamatio. Pustulae ruptae fluidum acre edunt, cutis fit glutinosa et tenax et foetidum spargit odorem, aegrotus summa cruciatur anxietate et animi dejectione, cutisque nuda tantos efficit dolores, quantos vix possit tolerare.

Respondet huic descriptioni illa, quae in opusculo supra memorata libri „Hufeland's Journal“ exhibetur, cujus auctor itidem varios observavit hujus mali gradus. In gradibus morbi altioribus, latiori

exanthematis expansioni adjuncti erant dolores in pharynge, tumor dolorificus parotidis, tonsillarum, palati, gingivae et prae ceteris linguae, quippe quae crusta crassa subalbida et aphthosa tecta esset. Prohibitus erat et dolorificus maxillae motus, respiratio difficilis et summa cum anxietate conjuncta; dentes autem firmi, nec ullum auctae salivationis signum repertum.

Exanthema nisi universale consequitur malum mercuriale, sed si peculiarem se praebet morbi formam, tempore breviori aut longiori finiri solet, ab hebdomade una usque ad mensem.

Matthias etiam duas memorat hydrargyriae formas, quarum altera varis similis, non semper eidem insidet loco, altera pertinacior ac magis inveterata, impetigini similior in palma praesertim, brachiis et cruribus, nonnunquam etiam in ceteris corporis partibus, rarissime vero in facie extendatur.

Secundum Cl. Struve exanthema papulis etiam se prodit pure repletis; oriuntur enim maculae subcaeruleo-purpureae, quae aut discretiores, aut densiores cruribus imprimis et brachiis sunt insitae, quarum e medio papula prorumpit, quae, magnitudinem lentis vix egrediens, post aliquot dies aut siccatur et amisso rubore decidit, aut, si scabebatur et irritabatur, in superficiale transit exulcerationem. Pruritus, huic exanthemati adjunctus valde molestus est, et tum praecipue animadvertitur, cum mercurius ob

exigna, aut etiam incerta signa venerea talibus propinabatur aegrotis, quales ob propriam atrabiliariam corporis constitutionem mercurium perpeti haud possunt et phaenomenis laborant hecticae orientis, quae nec cum lue venerea, nec cum hydrargyrosi arte cohaerent.

Sub nomine eczematibus rubri cel. Batemann similem describit exanthematis formam.

Ab exanthematibus venereis distingui mercuriale Matthias statuit, maculis cutaneis colore cuprino tinctis, quas quidem proprias putat venereis. Quae ut discernere possimus, necessarium aestimo, ut respiciamus ad alia vel luis vel hydrargyrosis symptomata et antecedentem mercurii usum.

#### 4. Minus distinctae morbi mercurialis formae.

Huc pertinent affectiones periostei, ossium, tendinum et ligamentorum, quae, quum non dignoscantur certa quodam forma, et, si aliis procreantur causis, eodem sese praebent modo, per se tantum, nisi formarum supra jam memoratarum una, vel altera accessat, haud designant hydrargyrosin. Augetur etiam in diagnosi difficultas, quod saepius has affectiones naturam exhibent mercurialem, nec signa, quae antecedere solent, aut jam evanuerint, aut plane non affuerint, quod deinde lues venerea, aliis in formis mercurio sanata, hanc tamen formam retinet. In

affectionibus rheumaticis et arthriticis facilius diagnosi est, cum his plerumque magnus mercurii haud praecesserit usus. — Sunt ergo certe multa hydrargyrosi his in partibus ac luis communia; attamen e medicorum descriptionibus nonnullae colligi possunt notae, quae, quomodo discernamus, nos doceant. Dolores, qui in morbo mercuriali ossa afficiunt, modo obtusi sunt et acerbi, modo tendentes, et aut eas prae ceteris arripiunt partes, quae in lue etiam laborant, aut articulos. Qui quidem dolores, opinione nonnullorum 20) exacerbatione carent nocturna, et magis molestos debilitatis ac lassitudinis articularum sensus se produunt, quo fit, ut aegrotus saepius genua inflectat. Alii vero docent, commune iis etiam esse cum doloribus venereis, quod nocte praesertim excitentur 21). Saepius ossa capitis afficiuntur, quare aegroti vehementissimis laborant in capite doloribus, qui non uni eidemque semper insident loco, sed ab una in alteram saepius se conferunt partem. — Duo prae ceteris hic respicienda sunt momenta distinctionis inter dolores ossium mercuriales et venereos, tum discessus ab uno in alterum locum, tum mali depravatio mercurii usum sequens. Ossa, si diutius morbus perdurat, omnes inflammationis exitus patiuntur; tumescunt, solvuntur et in suppurationem et cariem

20) Wendl l. c. 298.

21) Mathias l. c. 188.

transeunt; attamen Mathias contagio venereo ossa saepissime cariota, mercurio vero fragilia fieri contendit.

Multo crebrius autem quam ossa, periosteum ingreditur hydrargyrosis, quo dolores, tumor et ulcera oriuntur. Ossium tumores iidem in iisdem corporis locis, quibus venerei, reperiuntur, ubi ossa proxima sunt superficiei, in capite, in scapula, clavicula et crure; duri sunt et nitidi, nec vero valde dolorifici; eorumque inflammatio saepius, quamquam maxima fit, tamen mox dissolvitur 22); per annos nonnunquam perdurare et per se ipsi aperire aut sensim in suppurationem, lente orientem et procedentem, transire dicuntur. Docent porro medici, tumores hos, si partem capitis occupent comatam, continuato hydrargyrii usu, in maligna verti ulcera, sin autem in ossibus longioribus animadvertantur, vehementissimis cum doloribus, intermittentibus quidem, sed tamen frigida praesertim tempestate redeuntibus, conjunctos esse et rarissime tantum in suppurationem transire 23). — Quodsi aperiuntur tales tumores, massa quaedam conspicitur spongiosa atque obesa, quae, orificio egressa, in pus quoddam albidum solvitur; quo facto ulcera citissime saepe consanescunt et magnas relinquunt et rubras cicatrices, ad recrudescendum propensas; —

22) Hecker l. c. 285.

23) Dissert. med. inaug. de morbo quodam periostei vel ossium, usum hydrargyrii nonnunquam sequente J. Dyrely. Edinb. 1813.

finita in uno tumore suppuratio, saepe in altero oritur, qua tamen rarissime ipsa afficiuntur ossa. — In tendinibus, cartilaginibus et ligamentis saepius, mercuriale inesse quam venereum malum, Mathias contendit, ita ut tumores tendinum nunquam contagio syphilitico, sed potius mercurii abusu efficiantur, quod ipse exemplo probat 24). — Hydrargyrosis etiam articulos aggredi posse dicitur, ibique rheumaticis haud dissimiles excitare dolores, qui nocte praesertim in articulo pedis et calce sentiantur.

Mathias porro de ulcere nasi, ozaena mercuriali vocato et mercurii abusu exorto, loquitur, quod non minus periculosum ac late serpens, quam venereum, dicit, et cujus e praxi sua affert exempla. 25)

Ut haud raro exostoses, lue sanatae, remanent, ita et illae, quas hydrargyrosis secum ducit, quas innoxias minimeque periculosas haberi oportet morbi reliquias.

K. operarius, XXX annos natus, statura parva, constitutione cachectica et temperamento phlegmatico, per aliquot annos ob bubonem in dextro inguine, post coitum ortum seriusque eruptum, remediis mercurialibus in diversis usus erat formis, tempore, quo domicilium habuerat humidum humileque, quod intumescente flumine saepius jam inundatum fuerat. — Quum per XII hebdomades usus esset mercurio, ne-

24) l. c. 194.

25) l. c. 190.

que eum intermisisset, salivatione jam orta, ulcus quidem inguinale consanuerat, sed vehementes dolores tumoresque ossium etiam orti erant, aegroti simul maxime debilitato. Quae tamen phaenomena, cum idem postea meliori gauderet vitae conditione, tempestate faustiori et usu specierum lignorum evanere. Cum vero coactus esset aegrotus, in pristinum redire domicilium, cum fame et inopia premeretur, rediit malum, ac, pro ratione conditionum externarum modo in melius modo in pejus versum, per aliquot annos aegrotum vexavit. Quae cum ita essent, phaenomenis modo enarratis exanthema in capite accessit, hoc se formans modo: primum in regione verticis parva exorta est macula dolorifica ac pruriens, crusta obducta, qua scabendo detrusa, pus flavo-albidum ac foetidum emisit; tali modo ulcus ortum est, postea latius altiusque serpens, semper vero crusta tectum. Aliquo tempore praeterlapso in variis capitis plagis tales apparere maculae, superioribus simillimae, quae eundem habuere exitum, et sub tegmine crustae pus pessimum secernebant. Quae phaenomena cura medici oppidi nostri, anni praeteriti autumnis, evanere, hieme vero, quum aegrotus humile frigidum que haberet domicilium, redierunt simul cum doloribus et tumoribus ossium atque articularum; exanthema pristinum quidem recuperavit formam, sed nunc non solum anterior, sicut prius, sed posterior etiam capitis pars affecta est. Hisce omnibus cruciatus aegro-

tus mense Maio a. c. in nosocomium receptus et per mensis spatium, diaeta lactea, speciebus lignorum atque extracto cicutae adhibitis, curatus est. Nondum animadverti potuit, num bene procederet sanatio, cum aegrotus nosocomium relinquere coactus esset. Rediit autem mense Augusto iisdem laborans malis; inter exulceratas, crustis obtectas, capitis partes, pityriasis vera exorta erat; dolores membrorum, de quibus jam diximus, cum rigiditate et ossium tumoribus permanebant, et in crure dextro e loco antea inflammato ulcus eformatum erat, quod cruentem saniosum secernens pus, dolores excitans et sanguinis profusio propensum, sub gangraena superficiali celerrime latius se propagavit. Haud ignorari potuit universalis debilitas aegroti et cachexia; oculi languidi, collapsi, et caeruleis cincti orbiculis, cutis sicca et laxa, gingiva flaccida et soluta, halitus foedum spargens odorem; atamen digestionis organa fere integra. — Ordinata sunt initio species lignorum, extractum cicutae et diaeta lactea; postea vero, cum distinctius appareret morbi mercurialis natura, cibi nutriendo et roborando aptiores propinabantur. In ulcus cruris linteam, Decocto Chinae et quercus immersum, cum ligatura prementi impositum est; interne accipiebat aegrotus infusum cort. chinae cum acido phosphorico diluto. Hac curatione universalis aegroti status mirifice in melius vertebatur, et omnia, de quibus supra diximus, mala localia mox sanata fore videbantur,

in capite enim neque crustae istae pristinae, nec quibus intermixtae erant squamae regenerabantur; ulcus deinde in crure indies deminutum multo faustiorum praebuit formam; dolores denique in ossibus plane cesserant. At subito novus ortus est in digito indice manus dextrae tumor, qui se transiturum in cariem minabatur. Imo tantum abfuit, ut curatio tam bene procederet, quam initio esset, ut contra sanatio affectionum localium, jamjam incepta, subito interrupta sit. Hinc coniecimus tamen aliquid Syphilidis adhuc latere; quare unguentum neapolitanum per nonnullos dies inungebatur; et quibusdam tantum factis inunctionibus salivatio et procedens sanatio initium cepit. Simul et dissolutio tumoris digiti optime successit et nil remansit nisi anchylosis exigua. Aegrotus nunc mense Novembris etsi plane sanatus, in nosocomio tamen retinetur, ut per tempus aliquot adhuc observetur.

Hoc exemplum permulta cum alio, a Mathias narrato, exhibet communia. In utroque, mercurio, magna in copia et inter pessimas condiciones adhibito, malum perenne procreatum erat, quod tum symptomatum variatione, et recidivis, a tempestate confectis, tum denique magno curae antimercurialis fructu, satis perspicue mercurialem suam ipsius proderet naturam. Tamen in exemplo, a nobis memorato, notandum videtur, quod lues venerea per longum tempus, quo venenum mercuriale in corpore praevaleat, requies-

ceret, ut ita dicam, nec prius iterum aggredereetur corpus, quam hoste isto jamjam devicto. Verum enimvero relictum fuisse in corpore malum venereum, repentina nobis, post paucas inunctiones mercuriales, suadet sanatio.

## V.

## Hydrargyrosis causae.

Solam morbi causam esse mercurii in corpus ingressum, nomine quidem jam elucet, quaerendum tamen est, quatenam condiciones, ut noxii appareant mercurii effectus, adesse debeant. Quae quidem aut in organismo quorundam sitae sunt, aut rebus externis constituuntur. Illis, quas causas vocant praedisponentes, pro opinione mea annumeranda est constitutio imbecillior, et morbis pristinis vel novis, ut scrophulis, arthritide et prae ceteris scorbuto, crebroque mercurii usu, jamjam debilitata, quae, ut experientia docet, perniciosae mercurii vi maxime obnoxia est. Huc deinde pertinet constitutio, qua mercurius in secretiones, praesertim glandularum salivallium, minimum valet, in qua saepius tantum abest mercurius, ut antiveneream ostendat vim, ut contra inde ab initio pessimos habeat effectus. Ita rem sese habere, experientia docet, in aegrotis, corpore macilento, fibris adstrictis et temperamento cholericis, atrabiliaria

ergo, quam vocant, constitutione praeditis 1). — Quod confirmari videtur sententia, in iis, qui hepatis affectionibus laborant, mercurium maxime noxios saepe habere effectus. Nihilominus mercurius inter optima habetur contra hepatis mala chronica, remedia; sed respiciendum, quod, ubi turbata iecinoris functione jam orta est humorum resolutio, mercurii usum saepius sequuntur infausta symptomata. — Memoratu dignum hujus rei in nosocomio nostro observatum est exemplum. Quippe viro cuidam, constitutione atrabiliaria praedito, LX annos nato, atque induratione iecinoris et symptomatibus hydropicis laboranti, pauca mercurii dulcis grana, inunctionesve unguenti mercurialis in hepatis regione vix dum erant adhibitae, cum vehementissimae apparerent organorum salivarium affectiones, quae in gangraenam citissime transirent, qua genae ambae corroderentur et aegrotus diem supremum obiret; sectio magnam ostendebat hepatis indurationem.

Mathias porro constitutionem inflammatoriam et plethoricam memorat, quae propensius reddat corpus morbo mercuriali. 2)

Quod attinet ad causas externas sive occasionales, quibus procreatur hoc malum, reputari hic debent:

1. Mercurii abusus i. e. a) ejusdem usus in

1) Wedemeyer in *Rust's Magazin*. Bd. 9. Schmidt l. c.  
2) l. c. 92.

morbis, qui per se ipsi propriam ostendunt corporis debilitatem remediaque repossunt alia, minus periculi corpori minantia. b) Hydrargyrium propinatum dosibus, aut nimis celeriter sese excipientibus aut permagnis. Quodsi ad methodum mercurium adhibendi respiciamus, olim, in Anglia etiam nunc, frequentem, tunc sane Wedemeyerum laudabimus, quippe qui hanc causam afferat, cur mali effectus curae mercurialis temporibus antiquis saepius reperti sint, et cur etiam nunc ab Anglis prae ceteris possint observari. c) Usus inconvenientium hydrargyrii formarum, e. g. mos mercurium dulcem cum pulvere radice seu corticis cujusdam miscendi, haud divisit singulis dosibus, quem nunc etiam, quod sane dolendum, medici nonnulli sequuntur. d) Usus mercurii interruptus. Nam modo vitae ratione parum conveniente, modo usu certorum mercurii praeparatorum, quae infra indicabo, facile salivatio efficitur; cujus ortu praemature curatio formarum venerarum interruptitur, quamvis nihilominus usus mercurii denuo necessarius sit, qui tum aut eundem effectum, aut, si hic jam saepius antecesserit, nostram morbi formam procreet.

2. Vitae ratio parum conveniens durante cura mercuriali. Satis inter omnes constat, curationem aegrorum syphiliticorum temperatione coeli, calido anni tempore, vestitu frigido propulsante, et omni aëris frigidi evitatione, per multum

adjuvari. Attamen pariter calidae atmosphaerae cura et semper domi se tenendi officium, toties negligitur ab aegrotis, ut, praesertim cum, quamvis malo venereo laborantes, satis bene se habeant, praecepta medici nimiae curae et anxietati tribuenda existiment. Quanta mala vel in organismo sano suppressa cutis exhalatione proferri possint, scimus, quod multo magis in corporibus fiat necesse est, quae ob usum mercurii, ut experientia docet, facilius etiam vim frigoris sentiunt. Eo, quod frigore fibrae rigidiore sunt, et cutis aridior magis contrahitur, et natura sanguinis inflammatoriae similis, vel haec ipsa excitatur, secretiones necessariae impediuntur. Etiam si non contendam, luem veneream secretionibus sanari, tamen experientia abunde edocti sumus, functionibus secretionis impeditis, mercurio syphilidem plerumque non solum non curari, sed etiam mala pejora proferri. Utin constitutione corporis modo indicata fibrarum rigidarum, frigus etiam curationem syphilidis, mercurio perficiendam, prohibere videtur, et ut in constitutionibus fibrae laxae, sanguinei et phlegmatici temperamentis, et in feminis, sic etiam calore vis mercurii et secretiones auctae adjuvantur, cum cutem humidiores faciat magisque aperiat, et corpus laxius irritabiliusque reddat.

Porro quaerendum, certane praeparata mercurii hydrargyrosin magis procreare possint quam alia. Martiae salina et oxydata mercurii praeparata fortissimas

excitantes causas putat hydrargyrosis atque etiam sententias aliorum scriptorum Anglicorum contra usum harum formarum et praecipue hydrargyrium muriaticum corrosivum affert. Quodsi etiam, quod alii scriptores, experientiam secuti, contendunt, respicimus, certa nimirum praeparata, ut modo nominatum et porro mercurius praecipitatus ruber et Hahnemanni tardiolem atque incertiolem habere vim, et secretiones, praesertim glandularum salivarium, difficilius excitare 3), quam alia, ut mercurium dulcem, unguentum neapolitanum et, ut experti sumus, praeparatum Hahnemannianum 4), inde fortasse explicari potest, qui fiat ut malum mercuriale, usu praeparatorum supra memoratorum, facilius oriatur. Huc si observationem adjicimus, ista mercurii praeparata partim in certis constitutionibus, partim ob nocentem eorum in digestionis organa vim, facile mala gignere, ideoque jam pridem medicis officium impositum esse, cum his remediis partim talia conjungendi, qualia horum vires secundarias noxias auferre possent, partim omnino evitandi, ubi alia mercurii praeparata sufficerent, — utique eo ducamus necesse est, ut horum remedium usui limites ponamus et sicubi ea adhibeamus, praeci-

3) Wedemeyer l. c. et Schmidt l. c.

4) Quae quidem praeparata, quod facilius salivationem excitent, luisque sanationem interrumpant, nec non iteratum reposcant usum, hydrargyrosi procreanda apta forsitan videntur.

pue alias causas, malum mercuriale provocantes, evitemus. Nullo autem modo sententiam Mathiae sequi possum, qui haec mercurii praeparata, saepius allata, non idonea censet ad tollendum e corpore contagium venereum, ideoque omnino e numero medicamentorum submovenda. Nam, certas perseverantes luis formas diiligentiori tantum fortissimorum mercurialium usui, cedere, nentiquam negare possumus.

## VI.

### P r o g n o s i s .

Si morbus mercurialis jam in primo suo stadio cognoscitur recteque curatur, prospera prognosis fieri et curatio exspectari potest, quam etiam in secundo stadio praedicere licet, si affectiones locales nondum latius serpsent, et infirmitas, praecipue organorum digestionis, nondum insignior est. Sin autem morbus sero cognitus, fortasse etiam per longius tempus, quasi syphiliticus, mercurio curatus, et jam status hecticus exortus est, difficillime, quin etiam prosperrimis tantum sub conditionibus, exitus letalis averti poterit; — qui etiam si non apparet, tamen saepenumero aeger infirmo corpore atque adversa valetudine laborabit. — Ad constitutionem aegroti ut simul respicias, eo magis necessarium erit, cum apud nonnullos mercurius multo violentius organismum afficiat, quam apud alios.

Porro complicationes, quae in malis hujus vel illius systematis originem habent, ut chronici nervorum morbi, scorbutus, scrophulae, arthritis, infirmitas organorum abdominalium, phthisis pulmonalis, prognosi officient. Denique experientia nos docet, anni tempus et coelum maximi momenti esse ad perficiendam curationem. In calidis et siccis aestatibus mala mercurialia sua fere sponte evanescent, cum in frigido atque humido anni tempore facillime revertantur.

Singularum hydrargyrosis formarum prognosis ex universa ejusdem temporis valetudine, ita ut e maturiori vel seriori morbi cognitione pendet. Malo neglecto, modo cancrosa degeneratione modo gangraenosa affectione partium, et diabrosi vasorum majorum, qua sanguinis profluvium oritur, aegrotus magnum in periculum adduci potest. In genere ulcus mercuriale, ubi jam ejus ambitus major est, permultum temporis ad curationem requirit; idem praecipue valet de ulceribus in cavo oris, faucium vel narium sitis, quae plerumque difficillima sunt curatu. His proxima sunt ulcera inguinum, tum sequuntur canceri mercuriales, denique omnes exulcerationes, quae in trunco vel in membris nascuntur; — hae plerumque facillime coalescunt, modo ne cum articulis, periosteo aut osse ipso cohaereant 1). Duae priores exanthematis species prosperam admittunt

1) Mathias l. c. 83.

prognosin; in posteriore vero specie tum febris violentia, tum clausis viis aëris per ingentem linguae et faucium tumorem vitae periculum minetur. Dolores et tumores ossium saepe perseveranter optimas curandi rationes rejiciunt, illi etiam facile, coeli temperie mutata revertuntur, hi saepe incommoda haud noxia e malis antecedentibus redundantia, remanent.

## VII.

### Cura morbi mercurialis.

Indicatio prima etiam hic remotio causarum externarum est. Omnis igitur mercurii usus intermittatur, eaeque res, quae morbum adduxerint, vitiosa diaeta et neglecta vivendi ratio, mutantur necesse est. Commoratio sub aëvo interdicitur, vestimenta corpus bene munitia a tempestatis injuria, regimenque diaphoreticum suadeantur. Cutis functionem incitate conabimur, praecipue si constitutio ea sit, quae, ut supra diximus, effectui mercurii in organa secretoria minus favere videatur; idem fieri necesse est, salivatione imprudenter suppressa; salivationis, haud maximae adhuc, quamvis adsit, nullam habeamus rationem; quae si autem facta fuerit copiosa, remediis, alia excitantibus secretionum organa, tum usu interno corticis peruviani et acidij phosphorici, et gargarismate decocto corticis salicis vel infuso herbae Salviae, ad-

dito aceto vini vel acido minerali, minuatur. Remotio causarum externarum ad morbum extinguendum statim sufficiet, si initio cognoscebatur, et paululum tantum mercurii in corpus pervenerat. Ubi vero jam major mercurii quantitas ab organismo recepta est, ibi adhibenda sunt remedia, quibus effici possit, ut mercurius chemice dissolvatur, ejusque excretio sic facilior reddatur. Quibus annumeranda sunt remedia sulphurea, experientia scriptorum multorum probata, inter quae praecipue hepar sulphuris, tum interne, tum in balneis, laudatur. Nec negligi debet, his remediis, praeter facultatem mercurium solventem, simul etiam cutis functionem, et sic remotionem causarum noxiarum adjuvari. Quem certe effectum concedere debent, qui chemicam eorum vim negare volunt.

Alterius est indicationis, causam phaenomenorum, morbosum illum organismi statum levare; qui quidem, ut jam supra probabiliter expositum est, consistit in humorum resolutione, et, hac quae gignitur eandemque rursus gignit, solidorum debilitate et cohaesione diminuta. Contra hunc statum etiam pleraque, experientia probata, remedia efficacia esse videntur, quae sunt: cortex peruvianus, remedium roborans et cohaesionem augens, cui, si ob digestionis organorum infirmitatem non toleratur, usus amarorum et aromaticorum praemittendus est; — acida mineralia, imprimis acidum phosphoricum et nitricum dilutum; augent ambo energiam systematis vasorum, et

dissolutioni ac dyscrasiae scorbuticae humorum se opponunt; et illud quidem hoc simul praestat, quod optime cum aucta irritabilitate organismi et systematis nervorum vasorumque praecipue, quae saepissime comitatur malum mercuriale, congruit. Plures scriptores laudant acida: cel. Burdach 1) in doloribus chronicis et tumoribus ossium et ligamentorum, ubi mercurius, saepe jam et magnis in dosibus adhibitus, haec atque alia mala, ut ulcera in cavo oris etc. protulerit, commendat; — Robbi 2) acidum et ferrum phosphoricum remedia eximiae utilitatis laudat; — cel. Wendt et Jahn 3) usum tincturae aromatico-acidae probant; in nostro etiam nosocomio saepius acidi nitrici bonos vidimus effectus, quod apte cum decocto rad. Sassaparillae vel corticis Chinae conjungitur. Medici quidam anglici, Cruikshank, Rolfe et Cullen, acido nitroso prosperrime usi sunt, quod tamen propter acrem ingratumque saporem nitrico est postponendum. Illud etiam nuperime in „Hufeland's Journal“ 4) maxime laudatur a medico, qui transitum ulcerum venereorum in mercurialia recte describit, et contra hanc ulcerum formam usum acidi nitrici externum commendat; ulcera linteo in mixtura acidi

1) Arzneimittellehre. Bd. IV.

2) Mathias l. c. Anm. 370.

3) l. c. et Klinik der chronischen Krankheiten, von Jahn und Erhard, Erf. 1817, Bd. 2. 140.

4) 56. Bd. 3. St. Von dem Nutzen der Salpetersäure bei venerischen Geschwüren, von Dr. Oppert.

nitrici  $\mathfrak{3}\beta$  aquae rosarum  $\mathfrak{3}\gamma$  et tincturae thebaicae  $\mathfrak{3}$ ) intincto obtegi jussit; quo remedio adhibito, laxos margines ulcerum firmos reddi atque contrahi et pus melius fieri, granulatione jam intra unam alteramve hebdomadem exorta, animadvertit; pari utilitate acidum nitricum adhibuit in ulceribus, quae ab usum mercurii in ore, lingua, tonsillis et palato molli sequi observavit, quibus remedium hocce penicilli ope applicavit; simul etiam usum internum acidi nitrici laudat. — Porro radicem Sassaparillae et lignum Guajaci, remedia roborantia atque secretiones adjuvantia commendat; illam etiam, itemque herbam cicutae, quia irritationem mitigent, in magnis dosibus atque continuo sumendam laudat Mathias 5). Burdach 6) cicutae herbam contra luem inveteratam, si totus jam organismus contagio et mercurii usu turbatus, et sensibilitas valde aucta sit, adhibendum esse suadet. Opium abunde sumi jubet Mathias 7), simul atque ulcera latius serpent et dolor maximus sit, quod quidem salubrem ostendit vim, ut camphora, si organismi irritabilitas, praecipue in systemate nervoso, quae spasmici excitantur, aucta appareat. → Ferrum etiam ejusque praeparata laudantur, magis vero seniori reconvalescentiae stadio accommodata sunt.

Indicatio tertia: respectus malorum localium. Ulcera in genitalibus et in aliis corporis locis, tumoresque inguinum aperti, primum, cum eximium sensibilitatis gradum habent, emollientibus optime curantur cataplasmatibus, et narcoticis herbis, cicutae vel

5) l. c. 366.

6) l. c. B. III.

7) l. c. 348.

hyosciamo, paratis. His in formis et omnino initio morbi mercurialis, ubi status auctae totius organismi irritabilitatis praevaleat, methodum antiphlogisticam, emissionem sanguinis et antimoniij praeparata adhiberi suadet Mathias; atamen haec remedia, ut mihi quidem videtur, tantum indicata esse possunt, ubi in constitutione robusta et plethorica, aliae, eodem tempore valentes res, inflammatorum magis effecerunt statum.

Si ulcera, magna sensibilitate doloribusque remissis, latius serpere minantur, remedia adstringentia accommodata sunt, fomenta ex decoctis cort. chinae et quercus, solutiones extracti nucum juglandum et liquaminis Myrrhae; quibuscumque ligatura premens apte conjungitur, cujus utilitas tum nostra experientia, tum Mathiae 8) sententia probatur; — talem vero localitati ulceris aptam ligaturam applicaturus gravibus etiam aegroti doloribus non prohiberi debet, quominus eam conficere pergat. — Contra ulcera cavi oris pari modo adhibentur aquae adstringentes, ori et faucibus eluendis, e decocto cort. Salicis cum tinctura Myrrhae, vel hb. cicutae cum aqua calcis; aut succis, penicillo applicandis, e Syropo Mororum cum acido muriatico utimur; contra gingivam, facile sanguinem emittentem, aquis, os purgantibus, spiritus cochleariae adjicitur; et Mathias solutionem commendat zinci sulphurici. — Contra exanthema mercuriale intus praeparata antimoniij et sulphuris adhibentur, nec minus decocta ligni guajaci et stipit. dulcamerarum, et balnea, praecipue sulphurea; — Oll. Alley in hydrargyria maligna lotiones frigidas

8) l. c. 353.

proponit. — In tumoribus et carie ossium praeter chinam etiam usus opii atque asae foetidae 9), ita ut guajaci et Sassaparillae 10) intus laudatur.

Quod ad curationem hydrargyrosis secundum diversa stadia attinet, duorum priorum curandi ratio jam ex iis, quae supra diximus, perspicui potest. In tertio stadio, ubi jam status hecticus accessit, cura praecipue eo difficillima fit, quod fere omnia hactenus nominata remedia ab aegroti propter magnam infirmitatem tolerari haud possunt; quamobrem nutrientem et facilem digestu cibum consumat necesse est; usua etiam tonicorum remediorum, in quo continue ad statum irritabilitatis et virium digestionis organorum respiciatur omnino necessarius erit. Inter acida mineralia maxime laudamus acidum phosphoricum; — in magna animi perturbatione et statu irritato opium aptissimum erit.

Diaeta inter morbum nutrens, roborans, et status irritabilitatis cujuscumque temporis accommodata esse debet, nutrimenta igitur laudantur: jura carnis elixae, decocta graecorum Sagu ac radice Salep, ova mollia etc.; quotidianum potum ordinamus unum ex ante nominatis decoctis, vel sassaparillae vel guajaci cum parvo additamento acidi nitrici; inter coenam poculum vini eximii apponatur. — Nequaquam eandem, quam Wendtius 11) sententiam sequi possum, qui curam per inediam in morbo mercuriali adhibere voluerit. Nam et infirmitatem partium solidarum et resolutionem humorum respicimus, itemque consideramus, di-

9) Annales instituti medico clinici Wirceburgensis redegit et observationibus illustravit J. N. Thomann, 1799. VI. 2.

10) Dyrely l. c.

11) l. c. 301.

aetâ tenui diu continuata statum corporis effici posse, cujus phaenomena simillima sint morbo nostro, haecjam talem curandi methodum satis prohibebunt. Et cll. Struvè quidem, qui de curatione per inediam plurima expertus est, eam dissuadet in morbis mercurialibus penitus insitis, ubi jam humorum dissolutio conspici possit, quemadmodum in morbo, pag. 52. narrato, statim diaeta nutriens adhibebatur, simulâ malum esse mercuriale cognitum erat.

Praeter diaetam alentem aegroti vivendi rationem praescribimus, qua praecipue retardatio cutis functionis evitetur; usus vestimentorum, frigus arcantium et commoratio in temperatura aëris, aequaliter tepefacti, principales prosperae curae sunt conditiones.

In reconvalescentia remedia jam ante efficacia tonica, et inter haec ferrum, per longius tempus continuari debent; idem valet de balneis, quae sensim sensimque e calidis in frigida possunt mutari, donec tandem, recuperata sanitate, calido anni tempore balnea marina adhiberi queant, quorum usum Wendtius et alii medici magnopere laudant. — Corpus gradatim aëri adsuefactum et balnearum maritimorum usus morbum, tempestate haud opportuna facillime redeuntem et omnino remanentem, ad affectiones rheumaticas inclinationem, impediunt.

Quando, hydrargyrosi sublata, lues hucusque suppressa, nunc rursus apparens, novum mercurii usum poscit, hic summam circumspectionem et curam certamque vivendi rationem requirit, cum facillime fieri possit, ut corpus hoc metallo rursus male afficiatur; quamobrem mercurius cum remediis, cutis functionem adjuvantibus, cum opio, camphora, aut potionibus, e lignorum speciebus coctis, conjungatur necesse est. — Tum quoque, longioribus intervallis continuata unctio melior esse videtur, quam interitus mercurii usus.